

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCLX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

commendavi, nondum ad me reversus est : Quare de ipsius incolumitate & conditione dubito.

De captivis Colonienfibus fama apud nos sparsa est, ipsos (dubio procul propter intercessionem Illustriff. & Sereniff. Electoris Vestri) liberatos jam. Fateor ergo, mihi rem gratissimam R. D. T. si de conditionibus hujus liberationis certi quid ad me perscripisset. Bene & fœliciter valeat R. D. V. meq; sibi habeat commendatum. Et meis verbis plurimam salutem nunciet, Clarissimo D. D. Marbachio, nec non doctiff. ejus filio, Philippo, Licentiato, cujus conversatione doctissimoque Colloquio cum hic transiret, plurimum fui delectatus. Scripsissem certè ad D. D. per hunc beneficiarium, siquidem certò mihi de ejus præsentia constitisset, & ipsi non tantum hunc Hieremiam, sed totum negotium diligentius commendassẽm. Quod propediem si ipsum vobiscum esse intellexero, faciam. Raptim Ulmæ, 23. Maji, Anno 79.

R. D. T.

Studiofiff.

Ludovicus Rabus, D.

Inscriptio.

Clarissimo viro, eruditione, pietate & virtutibus præstanti,
Dn. Wilhelmo Zimmermann, S. Th. D. nec non ejusdem in
Academia Heidelbergensi Prof. eximio, Ecclesiæq; ibidem
Pastori vigilantissimo. Domino & amico suo honorando.



CCLX.

(Erasmo Marbachio.)

Reverende & Clarissime Vir.

Qui has tibi literas exhibet, Elias Protus, studiorum causa cum discipulis Danis in Academiam vestram proficiscitur. Quæso igitur, ut communia illa humanitatis officia, quæ absque incommodo & molestia potes, *ὡς τε πατὴρ ἀδελφοί καὶ φίλοι* in ἀποδοῦνῃ φειδῶντι, ipsi amanter præstes. Fratris Philippi migrationem in Academiam Heidelbergensem, ut felicem & salutarem ipsi & ecclesiæ DEUS æternus Pater esse velit, ardentibus votis opto. Quæ de Sturmii cum D. Johanne Pappo Tragedia scribis, magnum & acerbum dolorem mihi attulerunt. Triste enim vultus laudatissimæ Academiæ vestræ & toti Ecclesiæ, Lutheri Confessionem amplectenti, denuò insiggi sentio, cui ut Filius DEI Samaritanus oleum gratiæ suæ infun-

Ffff 3

dat

dat & saucium corpus ecclesiae vestrae clementer sanet, toto cum pectore precor. Re-
salutant te amanter omnes, quibus nunciari salutem meis verbis voluisti. Bene
vale & distantis epistolion ex lecto, cui me podagra adfixit, ignoscito. Rostochii,
20. Junii.

David Chytræus.

CCLXI.

Salutem in Domino.

Magno affectus sum gaudio, Clarissime Domine Doctor, pater in Chri-
sto honorande, quando ex R. tuæ filio, D. Philippo, & ex literis tuæ R.
intellexi, R. tuam reformare statum Scholæ Haidelbergensis, & D. Philippum,
filium vocatum ed ad professionem Theologicam. Dominus vobis suo spiritu
adfit, ut quam felicissime omnia ex animi sententia succedant.


R. tuæ scriptum contra Danielem Tossanum dudum est sub prælo typo-
graphico in officina Georgii Gruppenbachii, Tubingæ, & Domino volente,
in his proximis nundinis in lucem prodibit. Theologi Tubingenses pauca
quædam vocabula in eo scripto mutarunt: id quod R. tuam non improbatu-
ram confidimus. Quod ad præfationem attinet, quandoquidem R. tuæ fi-
lius ex me quæsit, an recte factura esset R. tua, si eum laborem Illustrissimo
meo Principi inscriberet, respondi, me non dubitare, quin id Illustrissimo meo
Principi gratum sit futurum: in ea adhuc sum sententia.

Quod adeo raro scribo, peto veniam. Typographus in absolvendo Quin-
to meo Biblico tomo strenue pergit, quem tamen ego nondum absolvi. Ita-
que parcissime tempus distribuere cogor, ne Typographum remorari videar,
mercatus enim Francofurtensis est in propinquo. Felicissime T. R. va-
leat, & breve epistolium boni consulat. Datae raptim Stutgardia 27. Julii,
Anno salutis 1579.

Reverentia tua

studiofiss.

Lucas Osiander D.



CCLXII.

(Erasmo Marbachio.)

Num reversus sit ex Heidelberga Dominus pater, nondum mihi constat,
nec ipsum maturare reditum ad vos velim, ed quod sperem, diuturnio-
rem ipsius operam Palatinatui fructum allaturam plurimum,

Con-